

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

Qui D. Johannis Gerhardi Continuationis Partes Tertiam, Quartam,
Quintam, Eamque postremam complectitur - Denuo nunc in Lucem prodit,
Cum jndicibus ...

**Gerhard, Johann
Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617819

Caput CCIII. Miracula Christi Mortem Secuta.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17617

CAPUT CCIII.

MIRACULA CHRISTI MORTEM SECUTA.

MATTH. 27. v. 51. MARC. 15. v. 38. LUC. 23. v. 45.

RATIO ORDINIS.

Lucas ante Christi mortem scissi veli mentionem facit, sed ex reliquis Evangelistis intelligitur, post Christi mortem demum scissionem illam veli contigisse. Matthæus enim postquam dixerat, Christum emisisse Spiritum, subjungit, *Et ecce velum templi scissum est*, significans simul ac Spiritum Christus emiserat, statim illud miraculum fuisse secutum. Particulam verò *ids* esse ordinis demonstrativam ex plurimis locis constat Matth. 8. v. 2. 29. cap. 9. v. 2. 10. 18. & 20. &c. August. lib. 3. de cons. Evangelist. c. 19. *Matthæus satis expressit, tunc esse scissum velum, cum Jesus emisisset Spiritum, non simpliciter dicens sed addens, & ecce velum scissum est.* Idipsum etiam significatio hujus miraculi comprobatur. Scissione enim veli significatum fuit, cultum Leviticum V. T. esse abolitum, patere nobis aditum in sanctum sanctorum, dirutam esse maceriem Judæos à gentibus separantem &c. jam verò Christi morte unico illo propitiatorio sacrificio finis impositus fuit sacrificiis & cultibus Leviticis V. T. Dan. 9. v. 27. *confirmabit patulum multis hebdomadâ unâ & in dimidio hebdomadis cessare faciet hostiam & sacrificium*, h. e. quando annos tres cum dimidio in ministerio Messias exegit, of-

feret seipsum victimam DEO Patri & hoc unico ac vero propitiatorio sacrificio abrogabit V. T. sacrificia. In morte per proprium sanguinem introivit Christus in sancta sanctorum, aternâ redemptione nobis inventâ Hebr. 9. vers. 12. *per mortem reconciliavit duos populos Deo, interficiens inimicitiam, que hætenus ipsis intercesserat, in semetipso* Ephes. 2. v. 16. proinde verisimile est à morte demum scissionem veli contigisse. Nec ulla apparet ratio, cur velimus hoc miraculum à reliquis separare, ut cætera quidem post mortem, hoc verò ante mortem Christi contigisse dicamus, cum non minus quàm reliqua ad gloriam & majestatem Christi demonstrandam spectet, ea verò post mortem demum radios suos exerere cœpit. Quòd autem Lucas ante Christi mortem scissionem veli commemorat, inde factum est, quia cum eclipsin Solis describeret, voluit simul hujus miraculi mentionem facere, prætermitturus enim erat descriptionem reliquorum miraculorum, quæ post Christi mortem facta sunt. August. l. d. *Lucas volens miraculum miraculo adjungere cum dixisset, Sol obscuratus est, continuo subjungendum existimavit, Et velum templi scissum est, præoccupans videlicet quod expirante Domino factum est.*

MIRACULA MORTEM CHRISTI SECUTA.

MATTH. 27.

- 51. Καὶ ἰδὲ τὸ κατεπέτασμα τῆς ναῦ ἐσχίσθη εἰς δύο δοῦν ἀνωθεν ἕως κάτω καὶ ἡ γῆ ἐσεισθη καὶ πέτραι ἐσείσθησαν.
- 52. Καὶ τὰ μνημεῖα ἀνεόχθησαν καὶ πολλὰ σώματα τῶν κοιμηθέντων ἐγήγανθησαν.
- 53. Καὶ ἐξελθόντες ἐκ τῶν μνημείων μετὰ τὴν ἐγερσιν αὐτῶν εἰσῆλθον εἰς τὴν ἀγίαν πόλιν καὶ ἐνεφανίσθησαν πολλοῖς.
- 54. Ὁ ἑκατόνταρχος καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ τηροῦντες τὸν Ἰησοῦν ἰδόντες τὸν σεισμόν καὶ τὰ γινόμενα ἐφοβήθησαν φόβῳ μεγάλῳ λέγοντες ἀληθῶς ὅτι ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ἦν οὗτος.
- 55. Ἦσαν ἡ ἐκεῖ γυναῖκες πολλαὶ δοτο μακρόθεν θεωροῦσαι, αἵτινες ἠκολούθησαν τῷ Ἰησοῦ δοτὸ τὰ Γαλιλαίας ἀκολουθοῦσαι αὐτῷ.
- 56. Ἐν αἷς ἦν Μαρία ἡ Μαγδαλενή καὶ Μαρία ἡ Ἰακώβου καὶ ἰωσή μήτηρ καὶ μήτηρ τῶν Ζεβεδαιοῦ.

- 51. Et ecce velum templi scissum est in duas partes à summo usq. ad imum. Et terra mota est & petre scissæ sunt.
- 52. Et monumenta aperta sunt & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.
- 53. Et egressi è monumentis post resurrectionem ejus venerunt in sanctam civitatem & apparuerunt multis.
- 54. Centurio verò & qui cum eo erant custodientes Jesum, viso terra motu, & his que facta fuerant, timuerunt valde, dicentes: Verè filius Dei erat iste.
- 55. Erant autem ibi mulieres multe è longinquo spectantes, que secute fuerant Jesum à Galilæa ministrantes ei.
- 56. Inter quas erat Maria Magdalena & Maria Jacobi & Jose mater & mater filiorum Zebedæi.

MARC.

15.

- 38. Καὶ τὸ κατεπέτασμα τῆς ναῦ ἐσχίσθη εἰς δύο δοῦν ἀνωθεν ἕως κάτω.
- 39. Ἰδὼν δὲ ὁ κεντυρίων ὁ παρεστηκὸς ἐξ ἐναντίας αὐτῶν ὅτι αὐτὰς κράζοντας ἐξέπνιδον εἰπὴν ἀληθῆς ὁ αὐθροπὸς αὐτῶν υἱὸς τοῦ θεοῦ.

- 38. Et velum templum scissum est in duas partes à summo usq. ad imum.
- 39. Cum vidisset autem Centurio, qui astabat ex adverso illi, quod sic emissio clamore expirasset, dixisset: Verè homo hic filius erat Dei.

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Cont. pars quarta.

40. Ἦσαν ἡ καὶ γυναῖκες δύο μακρόθεν θεωροῦσαι, ἐν αἷς λέω καὶ Μαρία ἡ Μαγδαλένη καὶ Μαρία ἡ Ἰακώβου καὶ μικρὰ καὶ Ἰωσή μητὴρ καὶ Σαλώμη.
 41. Αἱ καὶ ὅτε λέω ἐστὶν τῆ Γαλιλαίας ηκολούθησαν αὐτῶ καὶ διηκόνουν αὐτῶ καὶ ἄλλαι πολλαὶ αἱ συναγαγόμεναι αὐτῶ εἰς Ἱερουσόλυμα.

40. Erant autem & mulieres à longinquo spectantes, inter quas erat Maria Magdalena, & Maria Jacobi parvi, & Jose mater & Salome.
 41. Quae etiam, cum esset in Galilea, secutae fuerant illum, & ministraverant ei, aliaeque complures, quae simul ascenderant cum eo Hierosolyma.

LUC. 23.

45. Καὶ ἐξείδη τὸ κατεπέτασμα Ἐναὶ μέσον.
 47. Ἰδὼν ἡ ἑκατοντάρχου τὸ ἡρώδιον ἐδόξασε τὸ θεὸν λέγων, ὅτιως ὁ ἀνθρώπου ἐστὶν δίκαιος λέω.
 48. Καὶ πάντες οἱ συμπάροχοι ἡρώδιου ὄχλοι ἵππὶ τῶν θεωροῦσαν αὐτῶν τῶν θεωρῶντες τὰ ἡρώδια τῶν ἰσχυρῶν καὶ ἐπὶ τῆ ἰσχυροφον.
 49. Εἰσηκούσαν ἡ πάντες οἱ γνωστοὶ αὐτῶ μακρόθεν ἐ γυναῖκες αἱ συναγαγόμεναι αὐτῶ δύο τῆ Γαλιλαίας ὁρώσας αὐτῶ.

45. Et velum templi scissum est medium.
 47. Cum vidisset autem Centurio, quod accidit, glorificavit Deum, dicens: Verè homo hic justus erit.
 48. Et omnes turba eorum, qui simul accesserant ad spectaculum istud & viderant, quae contingebant, percutientes pectora sua revertebantur.
 49. Stabant autem omnes noti ejus procul, & mulieres quae secutae cum erant à Galilea videntes haec.

DE COAGMENTATIONE CIRCUMSTANTIARUM HUIUS HISTORIAE.

Quod Matthaeus dicit, multa corpora Sanctorum...
 Quod Matthaeus dicit, multa corpora Sanctorum, id est post Christi resurrectionem deum contigisse paulò post ostendimus, posset igitur haec particula ad Historiam resurrectionis rejici, sed quia Evangelista per ὑπερον ὑπερόν occasionem reliquorum miraculorum eam hoc loco commemorare voluit, ideo non turbabimus usitatum ordinem. Marcus & Lucas soli Centurioni tribuunt egregiam illam confessionem, quam de Christo edidit, sed Matthaeus addit etiam reliquos milites hanc confessionem edidisse, in his nulla est discrepantia, siquidem Centurio initium fecit, sed reliqui praclarum illud eximia confessionis ab eximio viro editae exemplum postea sunt secuti, priori igitur loco solius Centurionis

confessionem collocabimus, cui postea reliquorum gregiariorum militum ὁμολογία subnectemus. Lucas Centurionis confessionem sic describit, quod Christum fuisse hominem justum praedicavit, Matthaeus & Marcus tradunt, quod etiam pro filio Dei ipsum agnoverit. Quia ergo Matthaeus Centurionem & reliquos milites conjungit, inde cogitari posset, Centurionem primo Christum praedicasse justum & innocentem, ut habet Lucas, mox reliquos milites exemplum ejus secutos etiam Dei Filium Christum praedicasse, ut habet Matthaeus. Sed quia Marcus ipsi Centurioni disertè tribuit haec verba: Verè Filius Dei erat homo iste, ideo statuendum, quod primo quidem Christum praedicavit justum, mox visis miraculis etiam DEI Filium &c.

HARMONIA HUIUS HISTORIAE.

Καὶ ἰδὲ τὸ κατεπέτασμα Ἐναὶ ἐξείδη μέσον εἰς δύο δύο αὐτῶν εἰς κάτω ἢ ἡ ἰσχυροφον καὶ πέτρας ἐξείδησαν, καὶ τὰ μνημεῖα ἀνεώχθησαν καὶ πῦλα σώματα τῶν κοιμηθέντων ἀγίων ἠρέθη καὶ ἐξελθόντες ἐκ τῶν μνημείων μετὰ τῶν ἐγερσιν αὐτῶ ἐσηλθον εἰς τὴν ἀγίαν πόλιν καὶ ἐνεφανίσθησαν πολλοῖς. ἰδὼν ἡ ἑκατοντάρχου ὁ κεντυρίων ὁ παρρηκῶς ἐξ ἐναντίας αὐτῶ τὸ ἡρώδιον, ὅτι ἔτα κρηξὸς ἐξέπνυον ἐδόξασε τὸν θεὸν λέγων (καὶ εἶπεν) ὅτιως ὁ ἀνθρώπου ἐστὶν δίκαιος λέω ἀληθῶς ὁ ἀνθρώπου ἐστὶν ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ καὶ οἱ μετ' αὐτῶ τρεῖς ἄνθρωποι ἰδόντες ὄνσεισμον καὶ τὰ ἡρώδια ἐφθέθησαν σφόδρα λέγοντες ἀληθῶς ἡ υἱὸς τοῦ θεοῦ καὶ πάντες οἱ συμπάροχοι ἡρώδιου ὄχλοι ἵππὶ τῶν θεωροῦσαν αὐτῶν τῶν θεωρῶντες τὰ ἡρώδια τῶν ἰσχυρῶν καὶ ἐπὶ τῆ ἰσχυροφον, εἰσηκούσαν ἡ πάντες οἱ γνωστοὶ αὐτῶ μακρόθεν ἡσαν ἡ ἐκεῖ γυναῖκες πῦλα δύο μακρόθεν θεωροῦσαι, ἐν αἷς λέω καὶ Μαρία ἡ Μαγδαλένη καὶ Μαρία ἡ Ἰακώβου καὶ μικρὰ καὶ Ἰωσή μητὴρ καὶ Σαλώμη μητὴρ τῶν Ζεβεδαίου, αἰτίνες καὶ ὅτε λέω ἐν τῆ Γαλιλαίας ηκολούθησαν, (ἡκολούθησαν) αὐτῶ τῶ ἰησοῦ διηκόνουσαι (συναγαγόμεναι αὐτῶ) αὐτῶ καὶ ἄλλαι πολλαὶ αἱ συναγαγόμεναι αὐτῶ δύο τῆ Γαλιλαίας εἰς Ἱερουσόλυμα ὁρώσας αὐτῶ.

*Et ecce velum templi scissum est in duas partes à summo usque ad imum. Et terra mota est & petrae scissae sunt. Et monumenta aperta sunt & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et egressi è monumentis post resurrectionem ejus venerunt in sanctam civitatem & apparuerunt multis. Cum vidisset autem Centurio qui astabat ex adverso illi, quod accidit, quod sic emisso clamore expirasset, glorificavit Deum dicens, Verè homo hic justus erat, Verè hic homo filius erat Dei. Et qui cum eo erant custodientes Jesum viso terrae motu, & his quae facta fuerant, timuerunt valde, dicentes: Verè filius Dei erat iste. Et omnes turba eorum, qui simul accesserant ad spectaculum istud & viderant, quae contingebant, percutientes pectora sua revertebantur. Stabant autem omnes noti ejus procul. Erant autem ibi mulieres multae à longinquo spectantes, inter quas erat Maria Magdalena & Maria Jacobi parvi & Jose mater & Salome, mater filiorum Zebedaei, quae etiam cum esset in Galilea, secutae fuerant Jesum ministrantes ei, aliaeque complures, quae simul ascenderant cum eo à Galilea Hierosolyma videntes haec.

Exegetis

Exegetis hujus Historia.

Quod Efa. 11. v. 10. de Messia prædictum: *Erit requies ejus gloria*, id statim ut Christus in cruce obdormivit, compleri coepit, siquidem diuina ipsius gloria ac majestas variis miraculis fuit demonstrata, quæ fuerunt testimonia non solum innocentie sed etiam Deitatis Christi, ac primum quasi exaltationis gradus. Athanas. de incarn. verbi: *Etiã in morte, vel potiùs, in trophæo contra mortem erecto, crucem dico, rerum universitas consitebatur eum, qui in corpore spectabatur ac patiebatur, non simpliciter esse hominem, sed Dei Filium & Salvatorem omnium. Nam & sol se avertēbat & terra quatiebatur & saxa rumpebantur & omnes cohortescebant. Hæc sanè in cruce pendente Christum Deum esse demonstrabant ac universitatem rerum hujus servam etiam contestantem pavore sui Domini presentiam.* Accedit, quòd creaturæ in illis miraculis obsequium & *ὀμνολογία* creatori suo testatam reddere voluerunt. Quòd si namque Apostolus Rom. 8. vers. 22. pronunciare audet *omnem creaturam piis suscipiatur ei & quædã*, quanto magis de Christo affirmari poterit, quòd velum scissione, terra motu, petra rupturâ ac monumenta apertione condolentiam suam Christo fuerint testata? Hieron. in cap. 27. Matth. *Omnis creatura Christo morienti comparitur, Sol obscuratur, terra movetur, petra scinduntur, velum templi dividitur, sepulchra aperiuntur, solus homo Christo non comparitur, pro quo solo Christus moritur.* Quemadmodum enim in obitu Patris familias tota luget familia ac pullis vestibus apparet induta: sic in morte Christi, qui est *Dominus domus* in hoc universo Hebr. 3. v. 6. Sol obscuratur & atratus pullas quasi vestes induit; velum templi scinditur, sicut Judæi in luctum vestimenta scindere solebant; terra movetur ac petra dissiliunt, sicut in luctu tremor hominem solet occupare. *Crucis clavos omnia Elementa senserunt, nihil ab illo supplicio liberum fuit, inquit Leo serm. 6. de pass. cap. 4. & addit: Debebat hoc testimonium suo mundus auctori, ut in occasu conditoris cui vellent universa siniri.* Arnob. lib. 1. contra gent. de illis miraculis sic scribit: *Natum ipsa in passione Deum illum esse testificata est, tellus mota tremuit, mare funditus refluxum est, aer globis involutus est tenebrarum, ignem orbis Solis tepefacto calore deviguit.* De hisca miraculis mortem Christi secutus in priore hujus pericope parte agitur, in posteriore religiosarum foeminarum cruci astantium studium erga Christum describitur. 1. Miracula Christi mortem secuta sic possunt dividi, ut quædam in ipso Christi corpore dicantur contigisse, utpote quòd sanguis & aqua ex latere demortui profluunt, quædam verò in creaturis, iisque vel animatis, utpote quòd Centurio credit & confitetur, vel in inanimatis, iisdemque vel celestibus, utpote quòd Sol obscuratur; vel terrestribus, utpote quòd terra tremit, rupes scinduntur ac sepulchra aperiuntur, quibus *ἀνατολὴ* annumerari potest miraculorum in opere artificiali, in velo scil. templi factum, quæ omnia memoria causa hæc verficulis includuntur:

Eclipsis: velum: terra trepidatio: rupes:
 Busta: cruci astantium conversio: sanguis & unda.
 Harm. Tom. III. vel Gerhard. Cont. pars quarta.

De Eclipsi Solis dictum fuit superius, de miraculo sanguinis & aquæ ex latere Christi demortui profluxis in sequente pericope tractabitur, hoc ergo loco reliqua miracula expendenda veniunt, inter quæ primum est *scisso veli*. Duo erant in tabernaculo testimonii ac postea in templo Hierosolymitano vela sive aulae. Unum vocabatur *exterius* quod dividebat atrium à sanctuario; alterum vero *interius*, quòd sanctuarium dividebat à sancto sanctorum Exod. 26. v. 31. & seqq. Dubitatur igitur, de quo velo Evangelistæ hic loquantur. Hieron. in cap. 27. Matth. & quæst. 8. ad Hedib. intelligit de velo exteriori, quòd Hebræis dicitur *כסא מבי* (inquit) *videtur in passione Domini illud velum fuisse confisum, quod in tabernaculo & in templo foris positum fuerat & appellabatur exterius.* Eadem etiam est Origenis sententia, qui propter convenientiam allegoriæ, quam sectatur, maluit veli exterioris quam interioris scissionem amplecti. Sed Cyrillus lib. 12. in Johann. cap. 37. & alii rectius statuunt de velo interiori, quòd Hebræis dicitur *כסא פנימי* Evangelistarum verba accipienda esse. Cum enim sine determinatione dicant velum templi fuisse scissum, utique convenit de velo nobiliori ac principaliori, cui *כסא פנימי* hæc appellatio convenit, illud accipere. Et hæc sententia, magis congruit significationibus hujus miraculi paulò post enumerandis, siquidem confisso isthoc velo, quòd ante sanctum sanctorum oppansum erat, cuius ad arcam testimonii intuitus patebat. Hoc ergo miraculum propriè spectabat Sacerdotes, ab illis enim in sanctuario sacrificantibus non autem à populo in atrio stanti velum illud videbatur, ac quia fuit tempus Paschatos, inde apparet multos Sacerdotes tum fuisse in templo præsentis, maxime quia erat hora nona precibus publicis & sacrificiis destinata. Quidam suspicantur utrumque velum fuisse scissum, sed cum Evangelistæ unius duntaxat mentionem faciunt, ideò non potest id certò affirmari. Porro interius illud velum Exod. 26. v. 31. sic describitur, quòd fuerit ex hyacintho & purpura cocco; bis tincto & bysso retorto opere artificioso factum, figuris Cherubin exornatum & ante quatuor columnas ex lignis Sittim factas per uncinos appensum ut sanctum sanctorum à sanctuario distingueret. Intra illud velum, sive in sancto sanctorum in tertia sc. eaq; interiore tabernaculi ac templi parte, in quam solus Pontifex & quidem semel duntaxat in anno ingrediebatur, contenta erant *thuribulum aureum*, cuius usus erat in offerendo incenso, quando summus Pontifex in festo expiationis sanctum sanctorum ingrediebatur Levit. 16. v. 12. *arca federis* facta ex lignis Sittim laminis aureis intus ac foris obducta tota, coronâ aureâ superius in circuitu & quatuor annulis in lateribus ornata &c. Exod. 25. v. 10. & seqq. *Urna aurea* continens particulam manna, quam jussu Dei Moses in custodiam coram Domino reposuit Exod. 16. vers. 33. *Virga Aeronis*, quæ miraculosè una nocte gemmas, flores & amygdalas maturas produxerat in testimonium, quòd ipsi ac posterioritate ejus summum Sacerdotium debeatur, quo sine etiam *coram testimonio*,

Dd 3 id

id est, coram arca fœderis Dei mandato fuit reposita Num. 17. v. 10. *Tabula due Decalogi* in arcam reposita; *duo Cherubim* ex ligno olivarum in figura impuberum puerorum facti & laminis aureis tecti super utramque arcam extremitatem positi expandentes alas super propitiatorium atque in illud versus ad sese vultibus respicientes, denique *propitiatorium*, quod fuit tabula solidè aurea tegumenti sive operculi instar arcae superimposita, ex quo locutus est Deus ad Israelitas in medio Cherubim &c. Hæc omnia in sancto sanctorum contenta erant & velo illo interiori (de quo hoc loco agimus) ab intuitu hominum secludebantur, ex quo intelligitur, illa omnia fuisse oculis hominum exposita, cum in morte Christi velum illud medium in duas partes à summo usque ad imum scinderetur (quamvis non ignoremus, quosdam ex ipsis Rabinis testari, quod iithac omnia in secundo templo à Zorobabele extracto non amplius fuerint reposita, quam hypothesein significationi scissionis nihil detrahare postea ostendemus) LXX. illud velum vocant *καλαπητῶμα* à *καλαπητῶμα* expando, explico, extendo, Item *obtego*, *velo*, expansum enim erat aulæum illud ante sanctum sanctorum & contenta in eo obtegebat sive velabat. Tribuunt autem hanc appellationem etiam exteriori velo, quod Exod. 26. v. 36. & alibi vocant *ἐπιπρασπον* tentorium ab *ἐπιδρω* attraho, sed interius velum semper vocant *καλαπητῶμα*, quod confirmat nostram sententiam, per *καλαπητῶμα* scil. apud Evangelistas non exterius sed interius velum intelligendum esse. Syrus pluribus circumscribit & vocat *faciem portæ templi* *פני הכניסה* idque perpetuò ubicunque vox *καλαπητῶμα* occurrit in N. T. Appellatur autem *facies portæ templi*, quia ingredientibus frontis instar in oculos incurreret ac partem portæ anteriorem tegeret, & hoc modo per synecdochen templum designabit partem ejus sacratiorem, scilicet *sanctum sanctorum*, quo modo à quibusdam accipitur vox templi Luc. 1. v. 21. Joseph. lib. 6. de bello Judaic. cap. 6. de hoc velo dicit, *quod colorum permixtione omnium rerum imaginem veluti prætulere, cocco enim videbatur ignem imitari, bysso terram, hyacintho aërem ac mare purpurâ partim colorum partim originis ratione: quodque in eo per scripta omnis calibratio præter signa.* Rabini de hoc velo dicunt *ספר עברי* densitas ejus palmus, hoc est, quatuor digitorum, tantæ scil. densitatis, ut nemini potuerit esse perspicuum, id quod ad miraculi magnitudinem facit, quod aulæum tam densum à summo usque ad imum in duas æquales partes scinditur, id enim sibi volunt Evangelistæ quando illud dicunt esse scissum *μεσσο* medium. Significabat autem hæc veli scissio 1. Christum unicum N. T. Sacerdotem per proprium sanguinem introire in sanctum sanctorum æternæ redemptionis inventa Hebr. 9. vers. 12. In V. Test. summus Pontifex quotannis semel, in die scil. expiationis, sanctum sanctorum velo illo interiori conclusum ingrediebatur ac pro suis & populi peccatis sacrificia offerebat Levit. 16. vers. 12. hic typus in Christi morte fuit impletus, siquidem mors ipsius est unicum propitiatorium sacrificium pro peccatis mundi, inde factum, ut velum illud scinderetur, aditum quasi aperiens huic summo Sacerdoti seipsum pro peccatis nostris victimam Deo offerenti. Hebr. 6. v. 19. & 20. cap. 9. v. 6. &

seqq. cap. 10. v. 19. & c. 2. Quia per veli scissionem oculis omnium exposita fuerunt contenta in sancto sanctorum, idè scissionem illâ significatum fuit, per Christi mortem impleta esse, quæ supellectile illâ sacrâ in sancto sanctorum contenta fuerunt præfigurata. Thuribuli aurei usus erat in offerendo incenso, hic typus à Christo impletus fuit, cum in ara crucis *cum clamore valido cum lacrymis ac precibus seipsum Deo offerret in odorem suavitatis* Ephes. 5. vers. 2. Hebr. 5. vers. 7. nulla gratior *ευωδία*, nullum acceptabilius thymiama Deo fuit oblatum, quam in Christi morte. Per arcam fœderis Christum fuisse denotatum in propatulo est. Quod ergo in Christi morte velum scinditur & ad arcam fœderis intuitus atque aditus hac ratione aperitur, eo ipso significatum fuit, Christi morte nobis patefactum esse aditum *ad thronum gratiæ, ut cum fiducia ad illum accedere possimus* Heb. 5. v. 16. Urna aurea continens particulam manna omnium oculis erat obvia, quia Christus verum illud manna, quod *de celo descendit, ut daret vitam mundo* Joh. 6. vers. 33. coram oculis omnium in cruce pendebat. Virga Aaronis arida brevi erast progerminatura, h. e. Christus in morte instar tectæ arefactus in resurrectione erat progerminaturus. Duo Cherubim sese mutuò respicientes Vetus ac Novum Testamentum denotant, quæ de Christi morte consentiens ferunt testimonium. Propitiatorium per Christi mortem ac sanguinem nobis est erectum Rom. 3. v. 24. *Justificamur gratis per gratiam ipsius per redemptionem quæ est in Christo Jesu, v. 25. quem proposuit Deus propitiatorium per fidem in sanguine ipsius.* Quamvis verò dubitetur, an hæc supellex sacra in templo Hierosolymitano à Zorobabele extracto & ab Herode instaurato adhuc fuerit præsens, dicit enim Joseph. l. d. *quod nihil profusus in sancto sanctorum fuerit*, olim tamen in tabernaculo & templo Hierosolymitano à Salomone extracto intra illud ipsum velum in sancto sanctorum præsto fuerat, idèoque haud immeritò figurarum istarum impletio ad hunc locum refertur exemplo Hieronymi in Epist. 150. ad Hedib. q. 8. perinde ut Dan. 9. v. dicitur quod abominatio desolationis futura sit circa alas, h. e. eo in loco, in quo olim steterunt Cherubim cum suis alis (de qua tamen oraculi Prophetici interpretatione quid statuentum sit, superius in c. 160. Harm. exposuimus.) 3. Quia per sanctum sanctorum præfigurata fuit cœlestis gloria & gaudium vitæ æternæ Heb. 9. v. 24. in qua Deum à facie ad faciem videbimus, sicut ex propitiatorio in sancto sanctorum collocato Deus oracula reddebat, idè scissio veli in Christi morte haud absurdè eo refertur, quod Christus morte suâ aditum in cœlum nobis aperuit. Expiatis enim morte Christi peccatis, devictâ morte, sublatâ legis condemnatione ac peracto sacrificio patet nobis aditus ad sanctum sanctorum. Hier. *Velum templi scinditur, id est, cælum aperitur.* In hac vita oculis nostris velum quoddam obductum est, quod impedit, quò minus gloriam vitæ æternæ intueamur, sed ubi remotum fuerit istud velum, tunc plene beati erimus 1. Cor. 13. vers. 12. 4. Quia corpus Christi fuit quasi velum quoddam, quo divinitas *ὁ θεός* personaliter in assumta humanitate velut in proprio suo templo habitans fuit tecta, Hebr. 10. v. 19. idè scissio veli significavit violentam illam corporis lacerationem in passione

ac morte. Joh. 2. v. 19. *Solvite templum hoc.* Theophilus: *Templum est corpus Christi, in cuius passione vestimentum ejus laceratum est, scilicet caro.* 5. Quia discipuli velo omnium oculis apparuerunt contenta in sancto sanctorum, ideo miraculum illud significavit, Christi passione ac morte figuras V. Test. retectas esse. Christus cum beneficiis ac operibus suis in typis ac figuris Leviticarum Ceremoniarum fuit quasi involutus, sed per adventum, miracula, passionem ac mortem Christi nova lux figuris illis accessit, ut spiritualis earum significatio in N. Test. sit cuius obvia. Augustin. lib. 12. contra Faust. cap. 11. *Velum templi confissum est, ut per Christi passionem revelarentur secreta Sacramentorum fidelibus ad bibendum ore aperto in confessione transiuntibus.* Cyrillus in Joh. *Quia pulcherrimus fidei nucleus ariditate literalis testæ præsenti denudatus est, scissum est velum.* Non enim trunca & manca, sed perfecta fidei illuminatio est. Quia omni cognitione ac sapientia locupletandi jam erant fideles sine aliqua veli obumbratione totum intelligentes mysterium, idcirco templi velum totaliter scinditur. Ambrosius in Luc. *Synagoga velamen auferitur, ut religionis interna mysteria revelata mentis cernamus obtutu.* Leo sermon. 18. de pass. *Præcesserunt figure, ut sequeretur effectus & in adventu rerum nuntiarum finitæ sunt officia nuntiarum.* 6. Potest etiam per scissionem veli repudiatio Judaicarum Ceremoniarum intelligi, quarum duratio fuit usque ad tempus divi Theophrasti correctionis Hebr. 9. v. 10. *In dimidio hebdomadæ cessare faciet Messiam hostiam & sacrificium.* Dan. 9. v. 27. Quia enim totus cultus Leviticus fuit typus Christi & beneficiorum ejus, ideo Christo adveniente & vitam mortalem in cruce finiente externus ille ac typicus cultus fuit sublatus, unde Apostolus, cum de fructu passionis ac mortis Christi egisset Coloss. 2. v. 16. subjungit: *Nemo vos iudicet in cibo aut potu aut in parte diei aut neomeniæ aut Sabbatorum, v. 17. quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi.* Augustin. sermon 124. de tempore. *Velum templi scinditur, quia Synagoga honore nudatur, observatio antiqua dissolvitur, Ecclesia civitas præmonstratur.* Euthym. h. l. *Scisso velo ostendit Deus, quod à templo divina avolasset gratia, quodque interiora, id est, sancta sanctorum omnibus per viam atq; conspicienda constituenda essent, quod etiam postmodum ingredientibus Romanis est factum.* Theoph. in c. 27. Matt. *Velum scinditur, demonstrante Deo, quod templum inaccessum & nunquam visum, cuius intima velamen secludebat, solvatur & prophaneur, ita ut omnibus sit spectabile.* 7. Sicut sanctum sanctorum velo quodam à sanctuario & sanctuarium ab atrio erat separatum, sicut Vet. Test. populus Judaicus à gentili per medium quandam parietem maceræ, hoc est, per leges Ceremoniales & forenses fuit separatus. Quia verò Christus reconciliavit utrumque populum in uno corpore Deo per crucem interficiens inimicitiam in seipso Ephes. 2. v. 14. & seqq. ideo scisso veli ad discriminis hujus remotionem referri potest. Galat. 3. v. 28. *In Christo non est Judæus nec Græcus.* 8. Denique sanctum templum veli hujus tanquam vestis suæ scissione significavit se detestari Judæorum scelus ac diras pœnas illis prænunciari. Pontifex prius sciderat vestimenta sua contra Dei mandatum Levit. 21. v. 10. infimulans Jesum blasphemiam, eo quod

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Cont. pars quarta.

se Filium Dei professus erat. Deus ergo jam scindit templi vestem ostendens suam indignationem & quòd Pontifex cum suis affectis Christum ad mortem condemnans eidemque in cruce insultans immanem blasphemiam commiserit. Lutherus, *Quando Christus blasphematur, tunc velum templi scinditur, Theophylact.* *Sicut mos erat Judæis in blasphemis contra Deum scindere vestes, ita nunc quòd, divinum templum quasi agrè ferens Christi mortem dirupit vestem suam.* Johan. Buxtorffius existimat, quòd Rabini in suis Commentariis referunt inter alia prodigia templi destructionem antegressa templi fores quadraginta ante excidium annis sponte sua se aperuisse, id pertinere ad veli scissionem ab Evangelistis annotatam. Hieronymus in Epist. 150. ad Hedib. quæst. 8. & in c. 52. Esa. uti etiam Euseb. in Chron. referunt, illo tempore, quo crucifixus est Dominus, ex adytis templi virtutum caelestium erupisse voces dicentium, *Transmigremus ex his sedibus, cuius rei testem citant Josephum.* Sed rectè monet Scaliger in animadvers. ad Euseb. Josephum hoc quidem recensere inter prodigia quæ templi & urbis excidium antecesserunt, interim verò non ad tempus passionis Dominicæ, sed ad annum ante captam urbem sextum, Christi septuagesimum quintum & ad tempus pentecostes, non autem Paschatos referre.

Secundum miraculum est terræ motus, quo non solum mons Golphæus ac tota urbs, sed etiam vicinæ regiones fuerunt horribiliter concussæ. Refert enim Phlegon Olympiadum supputator lib. 13. Chronic. anno quarto Olympiadis 202. qui fuit annus passionis Dominicæ, terræ motum magnum in Bithynia contigisse, qui Nicææ urbis partem magnam solo aquaverit. Augustin. vel quicumque alius autor libri de mirab. Scripturæ addit, *aliquot oppida in Thracia hæc terra concussione eversa esse.* Niceph. lib. 1. Hist. Eccles. cap. 17. *Sub Tiberii imperio quatuordecim urbes minoris Asiæ terræ motu concidisse,* ex Plin. lib. 2. cap. 84. & Cornel. Tacit. libr. 2. refert, ac nomina earum recenset, quòd fuerint, Ephesus, Magnesia, Sardis, Mosthena, Hiero Casarea, Philadelpia, Imolus, Timus, Myrina, Cyme, Apollonia, Hyrcania, Dia, Cihyra. Existimatur autem fuisse is terræ motus, qui tempore passionis Christi contigit, ut in margine Interpres ibidem notat. Quousque verò hic terræ motus pertigerit, incertum est, Hic terræ motus 1. fuit signum iræ divinæ ob immane scelus Judæorum in Christum Filium Dei commissum. Deum enim præternaturali terræ concussione iram suam testari solitum colligitur ex sacris literis Psalm. 18. vers. 5. *Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes Belial conturbaverunt me. Et invocavit Dominum & commota est & contremuit terra: fundamenta montium conturbata sunt & commota sunt, quoniam iratus est.* Amos. 8. cum usurariorum artes Deus exposuisset, subjicit v. 8. *Nunquid super isto non commovebitur terra? 2. Argumentum innocentia & majestatis Christi, Syrus utitur verbo ערץ quod significat non solum commotus fuit, sed etiam timuit & expavit.* Hilar. lib. 3. de Trinit. p. 26. *Terra ad onus Domini in ligno pendens intremuit, eum qui moriturus erat, intra se contestata non capere.* Augustin. sermon. 120. de temp. *Terra tremuit, quia crucem Domini vix sustinet.* Sicut homo exhorrescens, solet contremi-

Dd 4 secre

scere, sic terra motu & concussione testatur, quod exhorrescat Judæorum crudelitatem. *Portat Christus omnia verbo virtutis sue* Hebr. 1. vers. 3. quid ergo mirum quod in extremo exinanitionis gradu terra fiat tremula? 3. Indicium pugnae inter Christum & Satanam. Christus in cruce mortuus non est à morte victus, sed ipse potius mortem & eum qui mortis imperium habebat, hoc est. Satanam aggressus gloriosum ex his hostibus triumphum retulit: *Descendit enim in inferiores partes terræ* Ephes. 4. vers. 9. ac palatium Satanæ magnis viribus aggressus ex imis illud fundamentis destruxit, & quia potestates infernales totis viribus repugnarunt, inde propter hoc duellum in morte Christi conceptum & in resurrectione consummatum, contremiscunt fundamenta terræ. 4. Cum Abelis innocentis sanguis effusus esset maledicitur terra, quæ *aperuerat os suum & susceperat sanguinem innoxium de manu fratris* Genes. 4. v. 11. proinde cum sanguis Christi longè præstantior sit sanguine Abelis Hebr. 12. v. 24. ideo effuso Christi sanguine terra contremiscit, verita scilicet ne denuò maledictioni subjiciatur. 5. Cum lex divina in monte Sinai magnâ solennitate promulgaretur, *tremuit totus mons valdè* Exod. 19. v. 18. Psalm. 68. v. 9. Quod ergo in morte Christi terra contremiscit, indicio est, doctrinam Evangelii in totum orbem brevi esse propagandam, quo totus orbis sit movendus. Hagg. 2. vers. 7. *movebo cælum & terram, & tunc veniet desiderium gentium.* Act. 4. v. 31. cum Apostoli pro alacritate in prædicando Evangelio orarent, *movebatur locus, in quo erant congregati*, ita quoque hoc loco in Christi morte, per quam Evangelii beneficia nobis sunt parata, terra contremiscit.

6. *In exitu Israel ex Aegypto montes exultaverunt ut arietes, & colles sicut agni ovium* Psal. 114. v. 4. à facie Domini mota est terra, v. 7. sic in spiritali liberatione filiorum Dei ex Aegypto infernali per Christi mortem facta terra movetur, & maledictionem propter peccatum sibi adhaerentem mortis Christi merito sublata esse exultat.

Tertium miraculum est scisso petrarum. Quamvis enim terræ motus causam huic scissuræ petrarum dedisse videatur, tamen cum non omnis terræ motus durissimas petras dissilire faciat, ideo merito pro peculiari miraculo id habetur. Syrus habet verbum *ⲛⲉⲣⲁ* quo alibi utitur pro scissura vestium. Matth. 26. v. 65. & in hoc ipso versiculo pro scissione *ⲛⲉⲣⲁ* veli, sicut & Græcus textus utrobique habet verbum *ⲛⲉⲣⲁ* disindi, diffindi, dissecari; ex quo intelligitur qualis fuerit hæc petrarum fissura. Qui Hierosolymis fuerunt, & ipsi coram petras hæc intuiti sunt, testantur scissionem illam adhuc hodie oculis obviam esse, adeoque terribilem, ut horrorem intuentibus incutiat. Lucianus Martyrapud Eulebium libr. 9. Hist. Eccles. cap. 6. testatur *rupem Golgotheam præcipuè hanc scissuram esse expertam*, Hieronymus dicit in Evangelio Nazaræorum legi, quod *superliminare templi infinite magnitudinis in hac scissione petrarum fuerit fractum & divisum*. Alii scribunt, *rupem montis Calvarie, in qua fixa fuerunt tres cruces, eo modo scissam esse, ut inter Christi & impii latronis crucem divisio interjecta sit, latronem à Domino divisum esse significans*. Sed hæc & similia cum destituantur Canonica Scripturæ auctoritate in credendi libertate sunt relicta. Quidam ad hanc fissuram petrarum accommodant vaticinium

Zach. 14. v. 4. *In die illa stabunt pedes Domini super montem olivarum, qui est contra Jerusalem ad Orientem & occidentem, vallisque fiet admodum magna & recedet medium montis ad Aquilonem, & medium ejus ad meridiem.* Sed illud rectius ad Historiam ascensionis refertur ac de divisione Apostolorum in totum orbem circa hunc montem cæpta exponitur. Cæterum hæc fissura petrarum fuit itidem 1. signum iræ divinæ. Nahum. 1. vers. 6. *Indignatio ejus effusa est ut ignis & petra dissoluta sunt ab eo.* 2. argumentum innocentie & majestatis Christi. Isidor. Pelusiota lib. 1. Epist. 253. *Quod petra in passione Dominica perrupta sunt & monumenta ad corporum migrationem tremuerunt, hinc illud significabatur, eum qui clavis consuebat & terrenorum, & subterraneorum esse Dominum*. Rupes crepabant mediæ, quod conditoris sui cædem ferre non possent, ex se quidem inanimata creaturæ tale quid præstare non poterant, Dei igitur imperio & operatione id factum, ut summa imis permiscerentur ob innocentem Christi mortem. 3. Christus est petra salutis nostræ 1. Corinth. 10. v. 4. quia ergo Christi anima à corpore in morte erat soluta, quia *Christus abscissus erat de terra viventium* Esa. 53. v. 8. inde scindebantur petra. 4. Luc. 19. vers. 40. cum Pharisei à Christo postulerent, ut discipulos suos ac pueros in templo sibi ut Messia acclamantes increparet, subjicit Christus: *Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides loquentur.* Id completum est in hac petrarum fissura. Discipuli tacebant, lapides ergo loquuntur & Christum pro Messia agnoscendum esse prædicant. Simon de Cassia: *Acclamaverunt Judæi altisonantibus vocibus Christi mortem, nunc verò petrae per scissuras quasi per aperta labia contra illos inclamitant.* 5. Hæc scissura petrarum duritiam & obstinationem Judæorum accubabat: *O duriora saxis Judæorum pectora!* inquit Ambros. lib. 10. in Lucam, *funduntur petrae, sed horum corda durantur, horum immobilis duritia manet orbe concusso.* Isidor. Pelus. lib. 1. Epist. 254. *Quare ea, quæ animâ carebant, cedebantur? nimirum in Judæorum stoliditatem ac vecordiam accusarent, quod cum ea metu frangerentur, hi contra in lapidum Naturam migrabant atque ad illatum terrorem stupidi & ad beneficium ingrati erant:* Merito igitur de illis conqueritur Zacharias cap. 7. vers. 12. *cor suum posuerunt, ut adamantem, ne audirent legem, & Jeremias cap. 5. vers. 3. induravit facies suas supra petram & noluerunt reverti.* Promeriti erant obstinatione & duritie suâ Judæi ut audirent Esa. 2. v. 10. *ingere in petram & abscondere in terra à facie timoris Domini & à gloria majestatis ejus.* Aperiuntur igitur petrae ut illud sibi dictum esse intelligant. Hieron. Epist. 160. ad Hedib. quæst. 8. fissuram illam ad conversionem gentium accommodat: *Dura (inquit) gentium corda emollitum iri & oracula Prophetarum, qui & ipsi à petra Christo vocabulum Petri acceperunt, ita aperta fore, ut quicquid in eis duro velamine legis claudabatur, scissum patere gentibus significatur.* 6. Testatur etiam hæc fissura petrarum Deum in ira sua recordari misericordie, nec totam indignationem suam effundere. Qui petras findebat & lapides scindebat, poterat longè facilius Judæos perdere & in nihilum redigere, nisi maluillet potentie suæ vires in creaturis inanimatis potius

titis ostendere ac salutem illis adhuc offerre. Terra concutitur ac hiat, sed neminem abforbet; scinduntur petrae, non dissecantur homines; aperiuntur monumenta ut resurgant mortui, non ut deglutiantur vivi propter tantum scelus horribilissima morte digni. 7. Admoniti igitur petrarum scissurâ faxea nostra corda per veram poenitentiam patiamur scindi. Joel. 2. v. 13. ne propter impoenitentiam ac duritiam cordium nostrorum in die iudicii cogamur exclamare: *Montes cadite super nos, & petrae abscondite nos à facie sedentis super thronum & ab ira agni* Apocal. 6. v. 16. Paulinus libr. 2. Epist. 3. ad Sever. in Monum. Orthod. Patr. tom. 2. p. 129. Recordemur & petras fissas ad huius aspectum crucis & saltem saxorum emulatione præcordia nostra scindamus timore divino, à carnalibus dividamur & scindamur infidelitatis velamen. Docuerunt nos mutæ creaturæ, ut Solem sive claritatem cordium nostrorum ad meditationem Dominicæ Passionis convertamus ac petras cordium nostrorum hac meditatione patiamur commoveri. 8. Denique petrarum scissura fuit indicium, quod in scissuris sive vulneribus Christi qui est vera salutis nostræ petra 1. Cor. 10. v. 4. contra infernalis accipitris insidias ac violentiam nos abscondere, ut in nobis quoque compleatur illud Cant. 2. v. 14. Columba mea in foraminibus petrae.

Quartum miraculum est *apertio sepulchrorum*: *Et aperta sunt monumenta & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, exsurrexerunt, & egressi à monumentis post resurrectionem eius venerunt in sanctam civitatem & apparuerunt multis.* *Μνησείον* ut & Latinum monumentum, alias est nomen generale, hic vero ut res ipsa ostendit, in specie pro sepulchro accipitur, cujus aspectus mortalitatis nostræ nos admonet. Porro huic apertioni sepulchrorum terræ motus & petrarum fissio occasione dederunt, siquidem disiectis vel etiâ fissis marmoribus superimpositis, fuerunt aperta, interim tamen quia peculiariter illorum sanctorum monumenta sunt aperta, qui post Christi resurrectionem ex illis prodierunt vivi, ideo merito pro peculiari miraculo numeratur, unde à quibusdam hoc miraculum in duo membra dividitur, in apertionem scilicet tumulorum & in resurrectionem mortuorum. Sed hæc resurrectio Sanctorum demortuorum non statim contigit in illa sepulchrorum apertione, sed post Christi demum resurrectionem, sicut ipse Evangelista exponit, quando in sequentibus dicit: *quod post resurrectionem Christi à monumentis egressi venerunt in sanctam civitatem*, ita ut temporis illa notatio *μετὰ τὴν ἔγερσιν* referenda sit non solum ad egressum, sed etiâ resurrectionem illorum sanctorum. Quod si enim statim à Christi morte fuissent redivivi facti, quid per triduum in sepulchris egissent? Syrus Interpres ad ingressum in urbem hanc notationem temporis retulisse videtur, sic enim verit. *Et corpora multa Sanctorum, qui obdormierant, resurrexerunt, & egressi sunt, & post resurrectionem eius ingressi sunt in urbem &c.* sed res ipsa ostendit ad resurrectionem & egressum à monumentis non minus hanc temporis notationem pertinere. Hieronymus alio id probat argumento: *Cum monumenta aperta sint*, inquit, *non tamen antea resurrexerunt, quam Dominus resurgeret, ut esset primogenitus resurrectionis ex mortuis.* Sed cum etiâ in V. T. quidam

à mortuis resuscitati fuerint, ideo non tam respectu temporis, quàm efficacia & virtutis Christus dicitur primogenitus ac primitiæ resurrectionis. Ideo autem Evangelista enarrans sepulchrorum apertionem, addidit resurrectionem mortuorum, quia illa fuit huius quoddam prælagium ac præludium, cum primis verò propterea, quia resurrectio illorum sanctorum fuit effectus & fructus mortis Christi, per quam mors nostra devicta & prostrata est. Quinam fuerint hi sancti cum Christo resurgente resurrecti, non exprimitur ab Evangelista. Quidam igitur itaunt in horum numero fuisse Adamum & Evam, Noahum, Abrahamum, Isaacum, Jacobum, Davidem, &c. qui voluerunt in terra illa promissionis sepeliri, in Spiritu procul dubio providentes, quod eo in loco resurrectionis Christi consortes fieri possint. Jobum fuisse in illorum numero probari posset ex Job 42. juxta editionem LXX. Interpp. & Theodotionis, quæ sic habet. Scriptum est autem, ipsum rursus resurrecturum, cum quibus Dominus resurgit. Haberi autem hæc in editione LXX. Interpp. autor est Origenes in Epist. ad Julium Africanum, eamque Historiæ partem tanquam legitimam amplectuntur Chryl. st. homil. 82. ad popul. Antioch. Ambrosius l. 1. de interpellatione Jobi c. 8. Theodoret. q. 92. in Genes Olympiodorus in hypotheli super Jobum. Quidam verò existimant fuisse potius eos, qui Christum in carne conspexerant ac non ita pridem obierant utpote Simeon, Hanna, Zacharias, Johannes Baptista &c. hi enim noti erant Christi discipulis, quibus poterant de resurrectione Christi testari. Non improbable est & hos & illos vel certè quosdam eorum in hoc numero fuisse, quinam verò in individuo fuerint, id hominem hodie arbitramur scire neminem. Evangelista eos vocat *ἀγίαι νεκροῦμένων* sanctos qui obdormierant quia scilicet in vera fide Christi mortui erant, tallum enim mortem propriè placidam obdormitionem Scriptura vocat. Dicuntur autem *ingressi post resurrectionem Christi in sanctam civitatem*, h. e. in urbem Hierosolymam, ut intelligitur ex collatione Matth. 4. v. 5. cum Luc. 4. v. 9. Verbum *εἰσέγχεσθαι* eò respicit, quod sepulchra Judæorum extra urbis mœnia fuerint sita, quod & alibi sacræ paginæ Historia comprobatur. Hierosolyma dicitur civitas sancta tum propter templum sanctum, in quo solo licebat offerre sacrificia, tum propter depositum sanctum doctrinæ, religionis & cultus in scriptis Mosaicis & Propheticis comprehensum, tum propter reliquias sanctæ Ecclesiæ singulari Dei beneficio ibidem conservatæ Esa. 1. v. 9. Ose 1. v. 10. Rom 9. v. 6. quæ synecdoche in gloriolis Ecclesiæ appellacionibus à potiori parte deductis Scripturæ est perquam usitata. Hieronym. Epistol. 150. ad Hedib. q. 8. *sanctam civitatem Jerosolymam debemus accipere, ad distinctionem omnium civitatum, quæ idolis tunc serviebant, in hac enim sola fuit templum & unius Dei cultus & vera religio &c.* Colligitur igitur ex hoc loco, quod Deus in corruptissimo Ecclesiæ statu semper sibi servet semen sanctum &c. Cæterum sancti illi cum Christo resuscitati Hierosolymam ingressi apparuerunt multis *ἐν Φαρισαῖσιν*, manifestè conspecti sunt à multis, ita enim accipitur *ἐν Φαρισαῖσιν* Heb. 9. v. 24. quod Petrus vocat *ἐν Φαρισαῖσιν*, conspicuum exhiberi. Act. 10. v. 40. Non quidem vili sunt ab omnibus sed à multis, quibus se de re-

de resurrectione Christi testari debebant, procul dubio discipulis & aliis fidelibus & quorum oculos Deus eo modo illuminabat, ut spiritualia illa resuscitorem corpora intueri possent, siquidem corpora glorificata inter alias dotes ac novas qualitates, quas post resurrectionem sortiuntur, etiam hanc habent, ut oculis carnalibus ac mortalibus propter claritatem, quæ Solis jubar exuperant & summam subtilitatem per se conspicua non sunt, nisi oculi quorundam divinâ virtute aperiantur, ut ea intueri possint. Nulla est proportio inter corpus πνευματικόν, & oculum σαρκινόν, antequam igitur oculi nostri ad venturâ vitæ aciem reformatar, non nisi speciali quodam Dei munere corpus glorificatum intueri possint. Quod si hoc habet locum in corporibus piorum glorificatis, quanto magis locum habebit in ipsius Christi corpore, quod non solum est glorificatum, sed ipsius Dei proprium corpus personaliter scilicet τῷ Λόγῳ unitum? ut flagitium proinde sit exactuali ἀλογία ad ἀρσῖαν istius in mysterio cœnæ argumentari. Quid verò de illis sanctis resuscitatis tandem factum sit, nusquam in sacris literis exprimitur. Quidam ergo statuunt, quod peracto resurrectionis suæ de Christi resurrectione officio iterum fuerint mortui, quæ sententia nititur hac hypothese, quod resurrexerint ad vitam mortalem, id quod probare conantur ex revelationibus Brigittæ lib. 6. cap. 64. Augustinus Epist. 99. ad Evod. idem confirmare nititur ex Act. 2. v. 28. *Cum David (inquit) resurrexit simul cum illis, qui cum Christo resurrexissent memorantur, plane iterum obiit atque adeo resurrexit, moriturus.* Si enim Petrus non intelligeret ossa Davidis in sepulchro esse, nisi probaret, erant ergo tempore Petri Davidis ossa in sepulchro. Augustinum sequuntur Theophylactus in cap. 27. Matth. & Thomas p. 1. quæst. 33. art. 2. Sed verisimilior est sententia Epiph. hæ. 75. Ambrosii in Psal. & aliorum, qui existimant, quod resurrexerint ad vitam immortalem, & cum Christo postea in gloriosa ascensione cœlos ingressi sint. Ut enim de Christo ad vitam immortalem resuscitato dicit Petrus, quod factus sit ἐμφανής non omni populo, sed Apostolis tanquam testibus à Deo præordinatis, Act. 10. vers. 40. ita cum eadem phrasi de his sanctis usurpetur, quod ἐμφανὴς ὄθησαν πολλοῖς, verisimile est, quod tibi ac potus non amplius fuerint indigi, nec cum illis, quibus apparuerunt assidue fuerint conversati, sed aliquando duntaxat illis apparuerint ac rursus dispa- ruerint, donec exacto quadraginta dierum decursu cum Christo in Cœlos fuerint recepti. Fortè etiam idèò resuscitati illi ab Evangelista dicuntur *sancti*, non solum ut intelligamus eos fuisse dignos resurrectionis testes, sed etiam cum Domino in cœlum assumptos, in cuius fide olim obdormiverant. Alii Addunt hæc argumenta. Si resurrexissent iterum morituri, resurrectio illis non beneficium sed pœna fuisset. Resurrexerunt ut sua resurrectione Christi resurrectionem testarentur. At si iterum obiissent, facillè potuissent alii in eam opinionem devenire, Christum etiam resurrexisse moriturum. Porro hæc apertio sepulchrorum in morte Christi facta & resurrectio mortuorum sanctorum in Christi resurrectione postmodum secuta apertum fuit superatæ mortis testimonium. Justinus in qq. & resp. ad orthodox. quæst. 85. pag. 344. *Præstita*

est Sanctorum istorum resurrectio, ut demonstratio esset, mortificationem esse mortis omnium nostrum Christi mortem, quam pro salute & vita mortalium omnium pertulit, is certè vivificam potentiam suam mortuis excitandis mirificè exhibuit. Hilarius in Matth. *Illuminans mortis tenebras & inferorum obscura collustrans, in Sanctorum ad præsens consopitorum resurrectionem mortis ipsius spolia detrabebat.* Monumentorum referatio, quid aliud, nisi claustris mortis effractis resurrectionem significat mortuorum? erant enim mortis claustra referata. Euseb. Emis. homil. 6. Pasch. *Regrediens Christus post diem tertium fructus secum triduanæ peregrinationis viventibus reportavit, & ut omnes eum de inferis regredi crederent, testes secum ad superos & præcones subactæ mortis exhibuit* Chrysol. sermon. 84. *Cecidit potestas Diaboli, patefactus est carcer inferni, disrupta sunt vincula mortuorum, morientes Domino sunt evulsa monumenta & resurgente Domino tota mortis mutata est conditio.* Fuit certè hæc sepulchrorum apertio & dormientium in illis resuscitatio evidens testimonium, Christum nec sibi privatim esse mortuum, nec pro se duntaxat resurrexisse, sed ut vitæ odorem in reliquos fideles, qui in ipso moriuntur, spargeret. Ingressus est tenebrosam mortis carcerem, non ut in eo clausus maneret, sed ut educeret omnes qui in eo captivi tenebantur, nam virtus ejus in sepulchra, imò ad inferos usque penetrabat, inde factum, ut ipse sepulchro mox claudendus aliorum sepulchra aperiret. Quemadmodum imber terram aperit, ut plantas & omnis generis fructus progerminet: sic sanguis Christi inlatur cujusdam frugiferi & salutaris imbris terram aperuit ut ex ejus pulvere ad vitam progerminare possimus. Quem effectum in his sanctis mors & resurrectio Christi habuit, eundem etiam in nobis suo tempore exeret, ut enim hoc loco Sanctorum sepulchra aperit, sic olim in nobis implebit promissum suum Ezech. 37. v. 12. *Ego aperiam tumulos vestros & educam vos de sepulchris vestris.* Ut hi sancti ex mortuis suscitati ingrediuntur Hierosolimam & apparent illis, quibus in vita fuerant noti: sic post nostram resurrectionem ingrediemur cœlestem Hierosolimam ac mutuò nos agnoscentes suavissimè cum Angelis & electis conversabimur. Nobis verò convenit, ut ex sepulchro peccatorum per veram penitentiam reserato spiritualiter cum Christo resurgamus, hæc est resurrectio prima à peccatis, *beatus & sanctus qui habet partem in ea, in his secunda mors non habebit potestatem* Apoc. 20. v. 6. Hieron. in Matth. cap. 27. *Mibi videtur terræ motus & reliqua typum ferre credentium, quod primitivis errorum vitiis derelictis & cordis emollitâ duritiâ, qui prius similes erant tumulis mortuorum, postea cognoverint creatorem.* Leo sermon. de pass. *Contremiscat in redemptoris sui supplicio terrena substantia, rumpantur infidelium mentium petreæ, & qui mortalitatis gravabantur sepulchris discussâ obstaculorum morâ proflant, appareantque nunc in civitate sancta, id est, Ecclesiâ.* Aperiamus conscientia tumulos per confessionem, ut ejiciantur fœtores & cadavera peccatorum nostrorum, ac spiritualiter eum Christo resurgentes desiderio cordis ad cœlestem Hierosolimam contendamus.

Atq; hæc sunt quatuor illa miracula, quæ in creaturis inanimatis statim à Christi morte facta sunt, quibus

quibus similia plura tunc temporis contigisse quidam referant. Euseb. lib. 7. de præpar. Evangel. c. 9. ex Plutarcho narrat, tempore Imperatoris Tiberii Thraunum quendam navis gubernatorem juxta portum Pelodem jussu nunciare magnum Pana esse mortuum, moxque gemitum & clamorem multorum innumerabilem esse auditum, id sic explicant, quod per Pana Pastorum Deum intelligitur Christus ἀρχιποιμὴν Ecclesiæ, qui verè est πᾶν, i. e. omne, verus scilicet Deus, in quo omnia, Sirac. 43. v. 30. ac quòd mortem illius luxerint Dæmones, quippe quorum regno mors Christi maximam cladem attulit. Hieron. Epist. 150. refert in Evangelio Hebraico legi superliminare templi tempore passionis corruisse. Ephrem. Syrus serm. de pass. commemorat, tunc cum velum templi scissum est, columbam à templo egredi visam. Sed nos contenti fumus miraculis, quæ per Evangelistam Deus annotari voluit, quibus meritò quinto loco annumeratur Centurionis juxta cruce mstantis conversio, cujus exemplum alii postea sunt secuti. Cùm vidisset Centurio qui astabat ex adverso illi, quod accidit, quòd sic emissio clamore expirasset, glorificavit Deum. Marcus retinuit appellationem Latinam κεντυρίων, sicut & Syrus ubique eum vocat קנטוריון sed Matthæus & Lucas Græco nomine eum appellant ἐκατόνταρχον, Præfectum centurie militum. Cohors militum Præsidiorum, qui Hierosolymis præcavendæ seditionis ergò in arce Antonia sustentabantur, divisa erat in certas Centurias ac cuilibet Centuria præfectus erat Capitaneus, qui vocabatur ἐκατόνταρχος, ex numero militum, cui imperabat. Joh. 19. v. 12. mentio fit χιλιάρχος cum cohorte sua ad Christum capiendum ablegari, sed cùm Christus in crucem esset actus putabant centuriam militum cum suo ἐκατόνταρχον ad ipsum custodiendum sufficere, majorem enim vim putabant requiri ad Christum in horto capiendum quàm in cruce custodiendum. Intelligitur autem ex hac circumstantia, quòd Centurio fuerit non Judæus sed Romanus sive ethniscus, siquidem cohors illa militaris constabat ex militibus Romanis præcavendæ inter Judæos seditionis ergò in præsidium collocatis. In actis Martyrii apud Metaphrastem hic Centurio vocatur Longinus, appellatione ἀπὸ τῆς λόγχης procul dubio deducta. Sed nullus veterum Scriptorum eum sic appellat. In Manuali, quod extat inter Augustini opera, occurrit hoc nomen, sed rectè censet Erasmus, librum illum Augustini non esse. In Martyrologiis Græcis & Latinis sic hujus Longini mentio, sed quis certos nos reddet, hunc ipsum Centurionem eo nomine denotare? cùm in Historia Ecclesiastica non unius Longini fiat mentio, qui pro Christo Martyrium fuerit passus. Adde quòd Martyrologia hac in re non consentiant. Græca enim in diem 16. Octob. hoc nomen referunt, Latina in 15. Martii. Chrysostomus ex aliorum sententia refert, hunc Centurionem in sile postea adeò roboratum fuisse, ut etiam Martyrio coronatus sit, quod haud improbabile judicamus; interim certius est, quod Evangelistæ hoc loco de ipso scribunt, quòd ex miraculis mortem Christi secutus innocentiam ejus agnoverit. Marcus notat hanc circumstantiam quòd iterit ἐξ ἐναντίας ex adverso Christi, potuit ergò omnia exactè observare & audire ea, quæ Christus in cruce prolatus erat. Lucas in genere dicit, quòd

hic Centurio viderit τὴν γενόμενον, id quod factum fuerat, sive ea, quæ contigerant, singulare enim ponitur pro plurali, unde rectè colligit Augustinus lib. 3. de consol. Evang. cap. 20. Lucam his verbis includere omnia, quæ Christo in cruce pendente ante ac post mortem ejus accidebant, quomodo scilicet pro crucifixoribus oraverit, latroni Paradisum promiserit, Spiritum in manus Patris deposuerit, ac magno clamore expiraverit, quomodo item Sol fuerit obscuratus, terra mota, rupes scissæ ac monumenta reserata. Hæc enim omnia permovisse Centurionem, ut honorificam de Christo confessionem ederet, colligitur non solum ex generalibus illis Lucæ verbis, sed etiam ex eo, quod Matthæus dicit: Centurio autem & qui cum eo erant custodientes Jesum viso terræ motu & his quæ fiebant τὰ γενόμενα. Quod ergo Marcus annotat, Centurionem ex eo permotum, quod vidisset eum mox à clamore valido expirasse, id non accipiendum est exclusivè sed inclusivè, quod scilicet non hoc solum, sed cum primis ipsum permoverit, ὅτι ἔτεω κροῖσας, quod sic vociferatus mox à clamore edito expirasset, id enim erat contra Naturam ac præter morem eorum, qui lentâ morte in cruce conficiuntur, quos ad extremum ipsa vox, nedum clamor destituit, ex eo igitur Centurio inferebat, divinam in Christo virtutem humanâ majorem agnoscendam esse. Origenes tract. 35. in Matth. non tam ad clamorem, quam ad clamoris significationem, hoc est, ad preces ultimas cum clamore valido emissas Centurionem respexisse arbitrat. Origenem sequitur Calv. in Harmon. Putant (inquit) quidam notari insolitum vigorem, qui ad mortem usque integer perseverat & sanè cum fere ex angue esset Christi corpus, hoc humano more accidere non potuit, ut laterum & arteriarum vis ad sonorum clamorem suppeteret. Ego tamen potius constantem in Dei nomine invocando perseverantiam à Centurione laudatam esse puto, quanquam non solus clamor eum induxit, ut de eo honorificè sentiret, sed quia videbat insignem ejus virtutem cum celestibus miraculis congruere. Sed verba Marci notanter intensiorem clamoris mortem immediatè antegrèssè exprimunt, quam cum primis Centurionem fuisse in Christo admiratum significant, interim ut & antè monuimus, non excluduntur vel CHRISTI verba in cruce prolata, vel ostenta reliqua mortem CHRISTI secuta. Porro confessionem hujus Centurionis sic describit Lucas, quòd dixerit: Verè homo hic justus erat. Marcus paulo aliter. Verè hic homo Filius erat Dei, quæ invicem neutiquam pugnant, quia utrumque dixit Centurio & unum ex altero collegit, ut rectè statuit Augustinus loc. dict. CHRISTUS morti erat adjudicatus, quòd se Filium Dei dixisset, sed ex CHRISTI verbis in cruce prolatis & ex ostentis mortem ejus secutis Centurio intulit, eum præter meritum à Judæis interfectum, ex quo spontè sequitur, quòd veritatem non mendacium protulerit, quando se Dei Filium confessus est, ac proinde quòd verè fuerit Dei Filius. Cum Judæi coram Pilato CHRISTUM accusarent, quòd se Filium Dei fecisset Joh. 19. v. 7. cumque in cruce pendenti insultarent. Confidit in Deo, liberet eum nunc, si vult, dixit enim, Filius Dei sum, &c. præsens erat hic Centurio, videns ergò portenta Christi mortem secuta & audiens Christi moribundi clamorem, intulit: Verè hic homo erat justus & Dei Filius, id est, quia miracula innocentie ipsius

ipsius testimonium ferunt, ideò injustè hoc nomine interfectus est, quòd se Filium Dei esse dixit. Quamvis verò Centurio nondum intellexerit mysterium de aeterna Filii Dei ex Patre ante secula generatione, cum apud Judæos etiam Scripturis sacris innutritos altum de eo fuerit silentium, tamen vera fuit conversio & confessio hujus Centurionis, siquidem Lucas dicit, quòd *glorificaverit Deum*, verum scilicet Deum Israelis, de eo enim Evangelista loquitur. Et hæc glorificatio non solum de confessione veritatis accipienda, sicut aliàs *glorificare Deum* est confiteri veritatem Joh. 7. v. 19. Johan. 9. vers. 24. sed etiam de vera agnitione Dei in Christo, quòd scilicet hic Centurio verà fide Christum amplexus sit & Filium Dei ipsum esse agnoscens hac ratione Deum glorificaverit, *qui enim honorat Filium, is etiam honorat Patrem, qui misit eum* Joh. 5. v. 23. & in Christi agnitione verè glorificatur Pater cœlestis Johan. 17. vers. 1. Probare igitur non possumus, quòd Calvinus in Harmonia statuit, *hunc Centurionem non respuisse penitus, sed fuisse tantummodo subitum & evanidum impetum, ut sæpe contingit homines vanos ac mundo deditos percelli timore Dei, dum formidabilem suam potentiam exerit, sed quia non subest viva radix protinus securitatem obducere, qua sensum illum exringuat.* Ut nec probari nobis debet, quòd alii statuunt, Centurionem hunc statuisse, quòd Jesus sit Filius Dei alicujus gentilis, Jovis puta vel Martis, vel alterius, hac enim ratione confessione suà nequaquam glorificasset Deum, quòd tamen disertis verbis Lucas testatur. Centurionis exemplum secuti sunt milites reliqui Jesum in cruce pendentem custodientes, ne scilicet tumultu excitato è cruce detraheretur, ut diximus superius, illi enim videntes terræ motum & quæ facta fuerant, Solis scilicet obscuracionem, petrarum scissionem, monumentorum apertionem &c. timeverunt valdè, quòd se ministros supplicii in justum sive innocentem & quidem in Dei Filium commissi exhibuerint, veriti ergo fuerunt, ne vindicta divina propterea graviter in ipsos animadverteret, ac proinde pœnitentiã facinorum ducti ac Centurionis sui exemplum secuti ipsi etiam præclaram de Christo ediderunt confessionem dicentes, *Verè hic homo Filius Dei erat*, ubi vocabulum ἀληθῆς opponitur Judaicis calumniis, quòd Christus Filium Dei sese professus, mendacem impostorem egerit. Nec milites solum, sed & reliqui spectatores testimonium innocentie Christo exhibuerunt, nam ut Lucas habet, *Omnes turba eorum, qui simul accesserant ad spectaculum istud, & viderant, quæ contigebant, percutientes pectora sua, revertebantur.* Per ὄχλος συμπαραγγομένων intelligitur promiscua turba, quæ ut in spectaculis suppliciorum fieri solet, spectandi causa ex urbe in montem Golgathæum fuerat egressa quam magnâ copiâ ibi præsentem fuisse colligitur ex circumstantia temporis, erat enim celebritas Paschatos, quo ex omnibus regionibus Judæi solebant Hierosolymæ convenire, atque ex celebritate nominis Jesu, cujus fama apud omnes hæctenus increbuerat. Hi ergo spectatores supplicii cum viderent ea, quæ facta fuerant, Solem scilicet obscuratum, rupes scissas &c. *percutiebant pectora sua & revertebantur in urbem.* Percussio pectoris est signum doloris, luctus & pœnitentiæ Nah. 2. vers. 7. *Ancilla ejus ducebant eam ge-*

mentes ut columbae percutientes pectora sua. Luc. 18. vers. 13. *Publicanus pectus suam percutiens orat. Domine propitius esto mihi peccatori. Quid est, inquit Augustinus, tundere pectus, nisi arguere quod latet in pectore, & evidenti pulsu occultum castigare peccatum?* Jerem. 31. vers. 19. mentio fit *percuti femoris* in dolore ac luctu. Testantur igitur hi spectatores externo percussione gestu, quòd anxio corde sub pectore latitante lugeant ac doleant. Causam doloris quidam statuunt hanc, quòd cujus mortem se impetrasse meminerant, eum in morte glorificatum doleant, sed quia per conjunctionem copulativam hi spectatores conjunguntur cum Centurione verè converso, ideò verisimilior est aliorum sententia, quòd pœnitentiã facinorum suorum, cum primis verò crudelitatis contra Christum fuerint ducti, metuentes itidem, ne vindicta divina in prodigiosis illis ostentis sese ostendens ulterius progredederetur, fuit ergo *tristitia secundum Deum*, initium salutaris conversionis. 2 Corinth. 7. vers. 10. quæ postea pœnitentiã ad salutem *ἀμεταμέλητον* operata est, cum in die Pentecostes de gravitate peccatorum suorum & beneficiis Christi in concione Petrina plenius instructi dicerent: *Quid faciemus viri fratres? Actor. 2. v. 37.* Beda allegoriam in eo quaerit, quòd ethnicus Centurio confitetur, turba autem Judaica silens domum rediit: *Vide* (inquit) *distanciam gentis & gentis. Gentiles quippe moriente Christo Deum timentes aperta confessionis voce glorificant: Judæi percutientes solum pectora silentes domum redeunt.* Sed inter hos supplicii spectatores non solum fuerunt Judæi sed etiam gentiles, ac quamvis verbis non fuerint Christum confessi, tamen ipso gestu percussione scilicet pectoris innocentiam Christi confitentur. Sic ergo impleri incipit, quòd de fructu & efficacia mortis Dominicæ prædictum extat Eia. 13. v. 10. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum &c.* id quòd de spiritali semine discipulorum ac confessorum intelligendum, qui in Christum pro peccatis humani generis in cruce mortuum credunt ac per fidem redduntur Dei filii. Joh. 12. v. 24. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum afferit.* v. 32. *Ego si exaltatus fuero è terra omnes traham ad meipsum.* Fructus igitur mortis Christi est conversio hominum & collectio Ecclesie, sicut h. l. in cruce mortuus statim incipit etiam in medio hostium blasphemantium & crucifigentium sibi Ecclesiam colligere, ut efficaciam & fructum mortis suæ ostendat. Voluit Deus ingentes ramos ex hac arbore vitæ ex Christo producere, voluit Ecclesiam edificare & vivificare, accepit igitur opus à vita alienum, quòd est mors Christi & ex ipsa Ecclesiam vivificavit, sicut granum in terra mortuum copiosius postea fructificat. Ostenditur etiam ex quo hominum genere colligat sibi Christus Ecclesiam. Pharisei Scribæ & Sacerdotes blasphemant, turba hominum promiscua in oculis sanctorum istorum extremè contenta percudit pectora & quod verbis non audet, gestu confitetur; sic non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt, infirma & contumelia mundi elegit Deus 1. Corinth. 1. vers. 27. Milites propter impietatem & crudelitatem malè apud omnes audiunt, sed hi primum

primum agnoscunt & confitentur Christum in cruce mortuum, ostendit igitur Christus, quod venit in mundum peccatores salvos facere 1. Timoth. 1. vers. 15. procul dubio enim hi milites unâ cum aliis Christum prius blasphemarunt & illuserunt, postea verò visis prodigiis conversi exemplum præbent misericordiae divinæ & efficaciam precum, quas Christus pro crucifixoribus orans paulò antè protulerat. Turba eorum qui percutiunt pectora, constabat maximè Judæis, Centurio & milites ipsius erant gentiles, hæ fuerunt primitiæ Ecclesiæ ex Judæis & gentilibus collectæ, nam & hic fructus est mortis Christi, quòd populum Judaicum & gentilem sublato *μστοροισιν* in unam Ecclesiam collegerit Eph. 2. vers. 14. cuius vocationis & collectionis præludium hoc loco proponitur. Cum primis verò conversio & confessio Centurionis mirabilis est ac memorabilis, innocentem eum prædicat, quem Sacerdotes mortis reum iudicaverant; Dei Filium confitentur, quem in cruce mortuum intuerent; credit in eum, quem ab omnibus videt contemni, Bernhardus serm. 28. in Canti. Centurio ad vocem, credit, voce agnovit Filium Dei & non ex facie. Auditus invenit, quod non visus. Oculum species sefellit, auri veritas se infudit. Oculum pronunciabat infirmum, oculum fædum, oculum miserum, oculum morte turpissimâ condemnatum. Auri Dei Filius, auri formosus innotuit. Erat ille Centurio incircumcisis sed non aure, qui ad unam expirantem vocem sub tot infirmitatis iudiciis Dominum majestatis agnovit, ideoque non despexit quod vidit, qui credit quod non vidit: non autem credit ex eo, quod vidit, sed ex eo procul dubio quod audivit. Nostrium verò est exemplo turbæ juxta crucem stantis ob peccata nostra quibus Christum crucifixum contremiscere ac pectora nostra tundere, hoc est, ex meditatione ac spiritali de *deus* passionis Domini gravitatem peccatorum nostrorum atque iræ divinæ agnoscere ex vera contritione cum Publicano poenitente & pectus suam percussione, dicere, propitius esto ò Deus nobis peccatoribus, ad percussione enim pectoris oportet accedere contritionem, scissionem & percussione cordis, sicut his verbis vera ac seria contritio describitur 2. Samuel. 24. vers. 10. Psalm. 51. vers. 19. Joel. 2. vers. 13. deinde etiam exemplo Centurionis fixis oculis Christum in cruce pendentem intueri, in Christum credere, eumque confiteri Dei Filium & Mediatorem unicum, qui innocuâ passione suâ pro noxiis nostrorum peccatorum satisfecit, à qua confessione non patiamur nos abduci scandalo crucis & blasphemis hostium, qui Ecclesiæ titulum sibi arrogant, sicut hæc omnia in Centurione conspiciuntur.

In posteriore hujus pericopes parte describitur religiosarum mulierularum erga Christum studium. Quia enim Evangelistæ mentionem fecerant Centurionis, militum acturbæ reliquæ juxta crucem stantis, ideo hæc occasione meminerunt etiam cognatorum Christi & religiosarum istarum fæminarum, quæ ex Galilæa Christum secutæ de bonis suis illi ministraverunt. Centurio, milites & turba circumstans glorificaverunt Christum mortuum, quem blasphemaverant adhuc vivum, sed hæc piæ ac religiosæ matronæ præclarum affectum

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Cont. pars quarta.

tum erga vivum tum erga mortuum habuerunt, vivo de bonis ac facultatibus suis ministraverant, mortuo in cruce discipulis fugientibus assistunt. *Se abane autem omnes noti ejus procul.* Per *τῶν γυναικῶν* intelliguntur Christi familiares, amici & cognati, qui prius ipsi docenti ac miracula edenti proximè semper adhaeserant, inter quos eminebant Maria Mater ac Johannes discipulus ipsius, ut colligitur ex Johanne cap. 19. versu 25. illi omnes, quotquot aderant, procul è longinquo stabant; quomodo autem hæc assertio Evangelistarum concilianda sit cum eo, quòd Johannes dicit, Mariam, ac quædam ex religiosis illis fæminis stetit *juxta crucem*, ita ut Christi in cruce pendentis verba audire poterint, expositum est superius. Inter hos Christi notos è longinquo stantes nominatim referunt Evangelistæ religiosas fæminas è Galilæa Christum secutas. *Erant* (inquiunt) *ibi mulieres multe è longinquo spectantes*, hoc est, diligenter observantes, quæ in crucifixionis supplicio contingebant. Amor Christi, qui ex Galilæa in Judæam eas attraxerat, ad crucem easdem attrahit. Quod enim stant *δοξομαχοβεν*, id non simpliciter est timori alicui præpostero & fidei adverso ascribendum, si enim timuissent vel in hospicio se continuissent, vel turbis intermixtæ facilius latere potuissent, maximè cum essent Galilææ Judæis juxta crucem stantibus ignotæ, inter quas erat Maria Magdalena & Maria Jacobi parvi & Jose mater & Salome mater filiorum Zebedæi, quæ etiam cum esset in Galilæa, secutæ fuerant Jesum ministrantes *δοξο τῶν ὑπαρχόντων*, de facultatibus suis necessaria ei subministrabant, ut exponitur Luc. 8. vers. 2. *Consuetudinis enim Judaicæ fuit*, ut scribit Hieronymus in Matth. *nec ducebatur in culpam, more gentis antiquo, ut mulieres de substantia sua victum ac vestitum præceptoribus ministrarent.* De his religiosis fæminis plura diximus superius & in Historia resurrectionis etiam quædam dicenda erunt. Tres earum, quæ hoc loco commemorantur, fuerunt reliquis illustriores, quæ ferventiori affectu & obsequio, quàm reliquæ Christo adhærebant, adfuisse enim cum illis alias complures, restatur Marcus subjungens, aliæque complures, quæ simul ascenderant cum eo à Galilæa Hierosolymam videntes hæc. Voluerunt autem Evangelistæ harum matronarum mentionem hoc loco facere, ut ostenderent impletum esse vaticinium Psalmi 38. v. 12. *Amici mei & proximi mei è regione plagæ mee stant v. 13. & propinqui mei de longè steterunt*; desertus fuerat Christus ab omnibus, ne nos desereremur à Deo. Neque enim mediocriter augebat passionis gravitatem, quòd tam turpi & ignominiosâ morte affectus, tantisq; opprobriis obrutus sit, non coram ignotis & inimicis tantum, sed etiam coram notis & amicis, quodque omnes noti è longinquo steterint. Quamvis enim fidei & amoris indicium sit in his matronis, quòd discipulis fugâ dilapsis ad mortem usque Christum comitantur, nec colere desistunt eum, quem in crucem sublato & convitiis obrutum vident: tamen infirmitas quædam fidei subesse videtur, quòd stant è longinquo, siquidem Psalter dicit, *ex horrore plagæ illud esse factum*: sed Christus hanc infirmitatem eis condonavit, & post resurrectionem suam redivivum semetipsum illis exhibuit, id quod solatium

E e nobis

nobis præbet, quando & nos cum fidei infirmitate, luctamur 2. Corinth. 12. vers. 9. Quòd si contingat etiam nos in extremis necessitatibus à familiaribus ac amicis deserì, solemur nos Christi exemplo & cum Davide dicamus ex Psalm. 27. v. 10. *Pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me.* Apparet etiam ex hoc loco, quem exitum habere soleant carnales cogitationes de externa quadam majestate ac felicitate in Christi regno. Haec muliercula ascenderant cum Christo Hierosolymam, ut mundanos honores & dignitates suis filiis & cognatis impetrarent, hunc enim ipsorum ani-

mum prodit Salome mater filiorum Zebedæi, quæ in extremo illo itinere Hierosolymam versus suscepto à Christo petit, ut unus filiorum sedeat à dextris, alter à sinistris Matth. 20. v. 21. sed ecce non solum speratis honoribus excidunt, sed insuper videtur coguntur extremis ignominii & opprobriis Christum affici. Sic nimirum pudesieri solent, qui carnalia in Christo quaerunt, nec conditionem regni ejus intelligunt.

*Scindantur petra ac velum, tremis anxia terra,
Scindatur cordis saxea petra mei.*

CAPUT CCIV.

JUDÆI PETUNT, UT CORPORA CRUCIFIXORUM EX CRUCE TOLLANTUR, EX CHRISTI DEMORTUI LATERE APERTO SANGVIS ET AQUA PROFLUIT.

JOHANN. 19. v. 31.

Miraculis Christi mortem secutis Matthæus, Marcus & Lucas Historiam de sepultura Christi subjiciunt. Sed ex Johanne, qui solus hoc miraculum describit, intelligitur, præmittendam esse sepulturæ Historiam de miraculoso sanguinis & aquæ ex latere Christi lancea transfixo profluxum, cui occasionem præbuit institutum Judæorum corpora crucifixorum ex cruce ante Solis occasum deponendi. Utenim milites promoverent mortem in duobus latronibus cum Christo crucifixis, fregerunt ipsorum crura, sed cum ad Christum pervenientes viderent eum jam mortuum es-

se à crucifragio quidem abstinuerunt, interim tamen unus ipsorum veritatem mortis explorare cupiens, lancea ipsius latus perfodit & continuo exivit sanguis & aqua. Stupendæ vero ac Diabolica crudelitatis indicium est quod miles iste non fuerit ventus scire in corpus demortui, quem Cæturio & alii plures hominem justum & Filium Dei fuisse erant confessi, cujus innocentiam cælum & terra fuerant testificata, cælum quidem Solis obscuratione, terra vero veli scissione, sui ipsius commotione, petrarum scissione & sepulchrorum aperture.

MIRACULOSUS SANGVINIS ET AQUÆ EX LATERE CHRISTI LANCEA PERFOSSO PROFLUXUS.

JOHANN. 19.

31. Οἱ ἔν Ιουδαίῳ, ἵνα μὴ μείνη ὁ πῦρ τῶν σώματι ἐν σαββάτῳ, ἔπει ἀρασκὸν ἡ (ὡ γὰρ μερὴν ἡ ἡμέρα ἐκινῆ ἡ σαββάτῳ) ἠρώτησαν τὸν Πιλάτον, ἵνα κατεργασῶν αὐτῶν τὰ σκέλη καὶ δεξιῶσι.
32. Ἦλθον ἔν οἱ στρατῶν) καὶ ἕ ἰδὼ πρῶτος κατέαξαν τὰ σκέλη καὶ ἄλλοι συζωρῶσεν αὐτῶ.
33. Ἐπὶ τὸν Ἰησοῦν ἐλθόντες ὡς εἶδον αὐτὸν ἤδη τεθνηκότα κατέαξαν αὐτῶ τὰ σκέλη.
34. Ἀλλ' εἰς τὸν στρατῶν λόγῳ, αὐτῶ πῶν πλῆθους ἐν ἕ καὶ εὐθὺς ἐξῆλθεν αἷμα καὶ ὕδαρ.
35. Καὶ ὁ ἑώρακὼς μεμαρτύρηκε καὶ ἀληθινῶ αὐτῶ ἔστιν ἡ μαρτυρία, καὶ οὐδεὶς οἶδει, ὅτι ἀληθὴ λέγει, ἵνα καὶ ὑμεῖς πιστεύσητε.
36. Ἐγὼ γὰρ ὁδῶντα, ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῆ, ὅσων ἐπωρεθῆσεται αὐτῶ.
37. Καὶ πάλιν ἑτέρα γραφὴ λέγει, ὅψοντα εἰς ὃν ἐξεκείνησιν.

31. *Judei ergo, quoniam parasceve erat, ut non manerent in cruce corpora Sabbatho, erat enim magnus dies ille Sabbathi, rogarunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura ac tollerentur.*
32. *Venerunt ergo milites & primi quidem fregerunt crura & alterius, qui crucifixus est cum eo.*
33. *Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura.*
34. *Sed unus militum lancea latus ejus fodit, & continuo exivit sanguis & aqua.*
35. *Et qui vidit, testimonium perhibuit & verum est testimonium ejus. Et ille scit, quod vera dicit ut & vos credatis.*
36. *Facta sunt enim hæc ut Scriptura impleretur. Os non comminuetis ex eo.*
37. *Et rursum alia Scriptura dicit. Vidobunt in quem pupugerunt.*

Exegesis